caritas

Summa forma amoris

Omnia vestra in amore fiant.
1 Corinthians 16:14



Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum aeramentum sonans aut cymbalum tinniens.

Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.

Et si distribuero in cibos omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, et caritatem non habuero, nihil mihi prodest.

Caritas patiens est, benigna est. dilectio non zelat; caritas non agit perperam non inflatur non est ambitiosa non quaerit quae sua sunt non irritatur non cogitat malum Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert omnia credit omnia sperat omnia sustinet

Caritas numquam excidit: sive prophetiae, deficient; sive linguae, cessabunt; sive scientia, destruetur.

Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: cum autem essem homo, evacuavi ut parvulus. Videmus nunc per speculum in enigmate; Nunc cognosco ex parte. sed tunc cognoscam sicut et cognitus sum.

Nunc autem manet fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.

1 Corinthians 13

Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini. Omnia vestra in amore fiant. **1 Corinthians 16:13-14**

Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitas, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem; supportantes invicem, et donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Christus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec: caritatem, quod est vinculum perfectionis. Pax autem Dei exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore. et grati estote.
Colossians 3:12-15

Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo semper pro vobis, fratres, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscuiusque vestrum in invicem; ut et ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei propter patientiam et fidem in omnibus persecutionibus et tribulationibus vestris quas sustinetis **2 Thessalonians 1:2-4**

Finis autem praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta **1 Timothy 1:5**

Ideo enim et laboramus et opprobrium sustinemus, quod speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime credentium. Praecipe haec et doce. Nemo adulescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in spiritu, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinae. **1 Timothy 4:10-13**

In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia; alii in honorem, alii in dedecus. Si quis ergo ab his se purgaverit, vas erit in honorem, sanctificatum, et utilem ad usum domini, et ad omne opus bonum praeparatus. Iuvenilia autem desideria fuge: sectare vero iustitiam, fidem, caritatem, pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita: sciens quia generant lites.
2 Timothy 2:20-23

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine murmuratione. **1 Peter 4:7-9**

Et insuper omnem diligentiam tribuens, fidei tuae virtuti adde; et ad virtutem scientiam; Et ad scientiam temperantiam; ad temperantiam, patientiam; ad pietatem et patientiam; Ad pietatem autem fraternam benignitatem. et fraternitatis caritatem. Si enim haec in vobis sunt, et habundabunt, faciunt vos, ut nec steriles nec sine fructu eritis in cognitione Domini nostri Iesu Christi. **2 Peter 1:5-8**